

380b. — *Juxta jus americanum, superior tenetur ad restitutionem, si vel expresse vel implicite vult aut approbat damnum a famulo allatum. Censetur autem hoc damnum velle, cum famulus illud infert sub immediata ejus supervisione aut ex naturali et culpabili negligentia ipsi domino cognita.*<sup>1</sup>

410b. — *In jure americano, credita privilegiata IN CASU MORTIS sunt plerumque funeris et ultimi morbi expensæ, et deinceps quæ fisco supremo debentur et iudicio probata sunt. IN CASU autem CESSIONIS BONORUM sunt salario quæ operariis et famulis debentur propter operam præstitam intra ultimos sex menses, modo non excedant quinquaginta dollaria.*<sup>2</sup>

463b. — *In jure americano, cessio bonorum eundem finem obtinet ac in jure anglico. Imo CESSIO BONORUM JUDICIALIS videtur omnino liberare debitorem propter legem latam<sup>3</sup> a Congressu pro omnibus Statibus et Territoriis, juxta quam declaratur jus omne creditorum, tum in debitorem quam in bona ejus deindeps acquirenda, remitti iis qui bona sua tradiderint, et beneficio legis usi sint bancorupti declarati.*<sup>4</sup>

1. Sabetti, n. 441.

2. Sabetti, n. 453.

3. Die 1a julii A. D. 1898.

4. Slater-Martin, I, p. 440 et seqq., ubi exponit opiniones Koninga, Sabetti et Kenrick.